

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MARC. VII.

In illo tempore, exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam ejus: et expuens, tetigit linguam ejus: et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Et præcepit illis Jesus, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, magis plus prædicabant, et admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

CONCIONES.

- I. Muti sensu mystico quinam: eorumdem cura.
- II. Linguæ frænandæ media.
- III. Aliquot linguæ vitia curantur.
- IV. Cur aliqui ad verbum Dei audiendum surdi sint; et qui illi.
- V. Media ut opera nostra bene fiant.
- VI. Septem mundi bona.
- VII. Quomodo omnia in usum et bonum hominis creata sint.
- VIII. Quanto bono sint Ecclesiæ suæ cæremoniæ.

- IX. Documenta.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Proximus omni conatu ad Christum adducendus.
- II. Surdi aliquot laude digni.
- III. Quatuor surdi periculosi.
- IV. Recte ut loquendum, ex natura et structura linguæ.
- V. Tempus tacendi et tempus loquendi.

CONCIO I.

MUTI SENSU MYSTICO QUINAM: EORUMDEM CURA.

- I. Qui in confessione reticent peccata. — II. Cum proximus corrigendus est. — III. Cum afflicto dandum consilium. — IV. Cum justitiæ et veritati testimonium reddendum. — V. Cum pro acceptis beneficiis gratiæ agendæ.

THEMA.

Solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Marc. VII.

Vulgo dicimus, non silere tantum, sed et loqui artificium esse. Verum addo ego, majoris artis esse loqui, quam tacere. Ut enim in cantu major est ars canere, quam pausas observare: ita procul dubio major est scientia, nosse loqui, sicut decet, quam silere. Hanc artem docuit Dominus in hodierno evangelio, cum mutum loqui fecit. Atque utinam hic cœlestis medicus adesset etiam

nostro sæculo? Multi enim passim muti reperiuntur, sed sponte et voluntate sua, qui ob silentium suum graves Deo penas dabunt. Nec dubium, quin plurimi in inferno clament: *Væ mihi quia tacui*. Jam vero si parentes liberis suis loquelæ difficultate laborantibus linguæ vinculum solvunt: nonne æquum est, ut hoc idem solvamus iis, qui cum loqui deberent, loqui nolunt aut nesciunt, cum incomparabili damno suo? Hoc ergo nunc agamus.

I. Muti aliqui sunt, eum in confessione peccata explicanda sunt. Istos erinaceo non male comparaveris; ille enim sub arbore malo poma colligit, rodit, edit, insuper aculeis suis affixa asportat in latibulum suum: at si casu abscedentem deprehenderit, illico se in globum convolvit, ut nihil nisi cutis hispida in ipso appareat, quasi nihil omnino damni fecerit. O erinacee, ubi sunt manus, quibus poma tractabas? Ubi pedes, quibus ea auferebas? Ubi os, quo ea edebas? Nihil

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

161

horum habere, imo nec vivere videtur: licet manifesta furti, et comestionis signa ad manum sint. Nonne tales primi nostri parentes, eorumque filius Cain? Tametsi enim pene in flagrante delicto deprehensi sunt a Deo, tegere tamen illi scelus, iste etiam negare ausus est. *Ubi est frater tuus*, o Cain, jam primum a te occisus? *Nescio*, inquit, *numquid custos fratris mei sum ego?* At nonne sanguis fratris tui ante oculos est? Nonne te accusat? Nihil hoc movit Cainum, ut culpam fateretur, quemadmodum et alios multos nihil movet confessarius, ut peccata sua explicent, tametsi ea fere digito notet. Belle Claudius Viexmontius dum confessionem cujusdam exciperet, qui clandestinas dæmonis suggestiones detegere trepidabat, jocosus: *Næ tu es*, inquit, *fidelis diabolo secretarius, quippe qui times, ne fidem apud eum perdas, si peccata ab eo suggesta in confessione prodas*, in instit. de sal. pœnit. At quæ salus tibi speranda est, qui hostem animæ tuæ prodere non vis, sed domi tuæ abscondis? *Ephphetha*, mi homo, nisi enim loquere, peribis certo certius, licet alia bona quam plurima interrim facias. Audi S. Aug. in comment. in Ps. *Elige, quod vis*, inquit, *si non confessus lateas, inconfessus damnaberis*. Si tibi optio daretur purgandi manus aqua vel igne, num tu in flammam potius immittere manus tuas, quam in aquam velles? Atqui Deus: *Apposuit tibi aquam et ignem ad quod volueris, porrige manum tuam*, inquit Ecclesiasticus, cap. XV. Aqua confessio, ignis gehenna est. Senserunt quidam, teste Euthymio, in cap. III. Matth. quod Joannes Judæos, quos in deserto baptizabat, immiserit in aquam usque ad collum, donec vel coacti confiterentur peccata sua. Non arbitror, Joannem fuisse tam severum exactorem. At certe talis erit Deus, si mutus in confessione fueris. Si enim absconderis peccata tua, demerget te in infernum, pondere peccatorum tuorum.

II. Cum proximus corrigendus est. Præceptum est Lev. cap. XIX. *Non oderis fratrem tuum in corde sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Quale vero hoc peccatum? Odium dico, uti insinuat lex qui enim omittit corrigere proximum errantem, sane eum non diligit, sed odio potius habet, quem in errore deserit, et a vita salutis aberrare sinit, cujusmodi in figura erant sacerdos et levita, qui cum viderent jacentem hominem, vulneratum a latronibus, nec verbulo eum consolati sunt, sed viso eo pertransierunt, Luc. X. Scimus etiam præceptum fuisse, Exod. XIII. *Si occurreris bovi aut asino erranti, reduc eum, ad dominum suum scilicet*. Quod si asinus reducendus ex præcepto Dei est, non erit reducendus

IV. PARS ÆSTIVALIS.

homo, qui periit Domino Deo? Graviter hac de re loquitur S. Augustinus, ser. XVI. de verb. Dom. *Tu vulnus fratris tui contemnis?* inquit. *Tu eum vides perire, et negligis, peior es tacendo, quam ille conviciando*. Qua ratione? inquit. Quia tu vides eum perire, ille vero passione aliqua cæcatus nescit se perire. Tu ergo oculatus cæcutientem ducere teneris. Diogenes videns aliquando puerum voraciter edentem, pædagogo plagam incussit, quia pædagogus puerum corrigere debebat, vel aliter instituere: idem facit Deus iis, qui vident delinquere proximos, et non emendant, præsertim si ex officio teneantur emendare. Hinc lamentatur Isaias, c. VI. inquit: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*. Quam ob causam? Quia nimirum, ut (exponit S. Hieronymus, Cyrillus et Haimo,) vel metu, vel tædio victus peccata populi ac procerum destiterit insectari, et nominatim, quod Oziam regem, qui sacerdos non erat, volentem adolere incensum, sacerdotium invadentem, non corripuerit, cum tamen ipse etiam propheta e regio stemmate oriundus esset, adeoque non incongrue facere id posset. Væ tibi etiam, si tacueris et proximum non correxeris, quia vir pollutus labiis eris: *Mandavit enim Deus unicuique de proximo suo*, Eccl. XVII. Denique, qui in hodierno evangelio adduxerunt mutum ad Christum, docent nos, ut id ipsum spirituali sensu faciamus fratribus nostris per correctionem; cum enim errantem corrigimus, ad Christum adducimus: *Afferte igitur Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum*, Ps. XXVIII. q. d. agnos facile aberrantes.

III. Cum proximo afflicto dandum est consilium. Deliquerat in hoc Jonas cum a Deo missus in Niniven, ut nuntiaret incolis imminentem interitum, fugit, metuens ne ad prædicationem suam pœnitentiam agerent Ninivitæ, sicque veniam impetrarent, et ipse vanus propheta haberetur, indicat ipse Jon. III. Prævidens ergo Ninivitarum conversionem, si eis loqueretur, noluit eorum saluti consulere: desiderans potius ut rei a divina justitia punirentur; ideoque mutus propheta a muto animali pisce, devoratus est in pœnam. Extat ea de re severa Dei sententia apud Ezech. c. XXXIII. *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. In quam sententiam exclamat S. Prosper, l. I. de vita contempl. c. XX. *Quis tam saxeus, tam ferreus erit, quem sententia ipsa non percellat?* Ab hoc sanguine immunem se canit S. Paulus, Act. XX. *Mundus sum*, inquit, *a sanguine omnium, non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne const-*

lum Dei vobis. Idemque alibi dixit: *Væ mihi si non evangelizavero*, I. Cor. IX. quasi metuens illam Dei sententiam: *Sanguinem ejus de manu tua requiram*, quia: *Ipsæ hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit*, inquit S. Gregorius, in eum locum, 10m. XII. In Ezech. Scimus etiam quid Estheri lixerit Mardocheus cum ei persuadere vellet, ut ipsa ad regem ingrederetur et salutem Hebræis impetraret. Tergiversante enim puella et sibi ab rato rege metuente, ait Mardocheus: *Si nunc ilueris, tu et domus patris tui peribitis*, Esth. IV. Scimus insuper quatuor illos leprosos, qui in lesertis Syrorum, qui Samariam dira obsidione et fame presserant, castris divitias ab iisdem relictas invenerant, ad se mutuo dixisse: *Si tacerimus et noluerimus nuntiare usque mane, scelereis arguemur*. Mox ergo fugam Syrorum indicant regi et civitati, sicque eos a dirissima liberarunt fame, IV. Reg. VII. Quot hi millia hominum partim occidissent, partim afflixissent, si hoc autium tacuissent? Jure itaque dicunt: *Si tacerimus scelereis arguemur*. Sane Prov. XI. ait Sapiens: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*. Hoc autem facit et graviore quidem peccato, qui salutari consilio pascere omittit proximum suum: *Frumenta abscondere*, inquit S. Greg. III. p. pastor. admon. XXVI. est *prædicationis apud se verba retinere*. Atque isti sunt, qui talentum sibi creditum abscondunt, ac proinde ea reprehensione digni, quam commeruit servus ille piger. Audiamus S. Chrys. hom. I. in Judæos: «Talentum, inquit, quod acceperat et defoderat servus ille Matthæi XXV. reddidit integrum: attamen dat penas, eo quod non auxerit lucrum. Ita tu quidem etsi innocens perseveres, cæterum non augeas talentum nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem quæ ille patitur, patieris.» Intellexit hoc diaconus ille Benjamin in Perside captivus apud Cassiodorum, lib. X. hist. trip. cap. XXXIII. qui dimissus a rege Persarum ea lege, ne in posterum ulli magorum prædicaret doctrinam Christianorum, respondit: *Impossibile est non me participare lumen aliis, quod ipse percepi. Quanto enim supplicio dignus sit, qui talentum absconderit, sacra evangeliorum testatur historia.* Certe si quem in flumine periclitantem cerne- res, et cum facile posses, non eriperes, grave te peccatum committere non dubitares. At quanto major est salus animæ quam corporis? Ad extremum docuit nos Dominus bene consulere proximo, quando (Luc. V.) leprosum a se mundatum misit ad sacerdotes, prius ab eis approbandum, ne in illum tamquam legis transgressorem animadvertent. Ergo ne leprosus in novas litium ambages incideret, salutari prorsus consilio mit-

titur ad sacerdotes: quod utinam facerent judices, consiliiarii et advocati, qui sæpe cum possent optime consulere partibus et eorum tricas uno verbo extricare, sicque crumenis parcere, tacent potius et permittunt, ut partes inter se involutæ atque exacerbatae prolongent litem et ex una faciant tres vel quatuor. Audiant isti Josaphat regem sic ad judices a se constitutos perorantem, II. Paral. XIX. *Videte quod faciatis, non enim hominis exercetis judicium sed Domini: et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, etc.*

IV. Cum justitiæ et veritati testimonium reddendum. Quales imprimis Judæi, quos interrogavit Dominus: *Si licet sabbato curare?* Quid enim illi ad veritatem asserendam? Nihil omnino: *At illi tacuerunt*, inquit Lucas, c. XIV. Carpere sententiam affirmantem non poterant, et tamen confirmare volebant. Post tergum Christi loquaces orant Pharisei: peccatorem, Samaritanum et dæmoniacum asserebant, sabbati transgressorem clamabant: sed in ejus presentia muti erant. Ita nunc quam plurimi, qui inter pocula et conventicula nihil non de proximo effutunt eumque graviter accusant: sed in presentia ejus mutescunt, nec ea de re vel ipsi vel ejus magistratui verbum dicere audent. Eo pertinent etiam judices, qui muneribus corrupti, vel ob partis alicujus amicitiam non audent pronuntiare veritatem ac decernere æquitatem. Sic testatur Ecclesiasticus, cap. X. *Xenia et dona excæcunt oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Quo loco mutus significat (secundum Lyran. et Hug. card.) certam ranulam, quæ calamitatum vocatur, et si in os canis injiciatur, facit eum mutum, teste Isidoro, l. XII. etym. cap. VI. Est et vitium linguæ, quod inde ranula vocatur, quia mutum reddit hominem, ut scribit Barth. Anglicus, l. V. propriet. cap. XXI. Ergo hujusmodi ranulæ sunt xenia et munera, quæ mutescere faciunt judices et: *Mutant ac subvertunt verba justorum*, uti dicitur Deut. XVI. et Ex. XXIII. Canes quantumvis initio acres et contentiose latrantes, si offam eis objicias, mox latrare desinent: eos vero, a quibus nihil accipiunt, indesinenter allatrabunt. Celebris hoc vitio factus est canis ille Perusinus, qui fures quidem noctu venientes strenue allatrabat, amasios vero dominæ, a qua in culina nutriebatur, adventantes tacitus admittebat. Cui proinde hoc epitaphium scriptum est:

Latrabam ad fures sed amantum furta tacebam.
Ut placui domino, sic placui dominæ.

Recte Ecclesiasticus, c. XIII. *Dives locutus est (superba et iniqua) et omnes tacuerunt, et verbum*

illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicebant: Quis est hic? Mutum in ore habuit certe judex ille qui cum litem inter lanionem et pelliionem dirimere deberet, ferunt ipsi a lanione donatum esse bovem. Quod advertens pellio, judicis uxori pretiosam pellem donavit. Judex tulit sententiam in favorem pelliionis. Miratus et indignatus lanio jubet mugire bovem suum. At judex replicavit bovem jam mugire non posse, quod os pelle obseratum haberet. Imo non bos, sed judex oclusum habuit os. Alius quidam arbiter inter duos litigantes datus, accepit ab uno urceum olei, ea spe et pollicitatione, ut pro se judex sententiam ferret. Hoc sentiens alter porcum pinguem misit judici; rogans ut sibi faveret, tulit ille sententiam pro porco. Quod videns alter, cum et fidem datam et oleum amissum apud judicem quereretur: Porcus quidam, inquit judex, in domum meam venit, et invento oleo vas confregit atque oleum effudit, adeo ut tui fuerim oblitus. Referunt Postcanic. Maiol. l. I. coll. IV. Sed quid de talibus ludionibus Deus? *Ignis*, inquit Job, c. XIV. *devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*: rursus Isa. LVI. *Canes muti non valentes latrare. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem*, q. d. insatiabiles.

V. Cum pro acceptis beneficiis gratiæ agendæ. Hac in re mutum fuisse protoplastum censet Rupertus, in Genes. lib. II. c. XXXIX. Creatur enim homo perfectus et decorus, nec tamen gratias agit. Ducitur in paradysum, et traditur ei domus voluptatis ac divitiarum plena, adhuc tamen mutus est: adducuntur ad eum animalia, et constituitur eorum dominus, tamen mutus est: adjungitur ei adjutorium, simile sibi, adhuc silet. Quid mirum ergo si talis homo ad peccatum exterius veniat, et ea ipsa, quæ in bonum suum condita sunt, sibi in perniciem vertat? Atque hoc indicari, ait Rupertus, cum dicitur: *Sed et serpens erat callidior, etc.* Quid enim sibi vult illud *et*? Nonne præcedens aliquod Adami peccatum notat? Quodnam vero illud, nisi ingrati tudinis et superbiæ in corde Adami? Derivatium fuit hoc protoplasti vitium in progeniem ejus, præsertim in gentiles: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, ad Rom. I. Quæ nobrem Habacuc, c. I. comparat eos piscibus, qui soli ex omnibus animalibus muti sunt: *Facies homines sicut pisces maris*, inquit. Hujusmodi piscem, mutum ad gratiarum actionem, censent Hebræi, et alii, fuisse Ezechiam regem, cæteroqui bonum, qui cum ob insignem de Assyriis reportatam victoriam Deo, sicut decebat, gratias non egisset,

postea repente incidit in ægritudinem, Isa. XXXVIII. Similem ob causam Moysen et Aarone ab ingressu terræ promissæ morte interveniente repulsos censet Abulensis, quod accepto beneficio aquæ divinitus dato, Deo laudes non cecinissent, populumque ad easdem non impulissent, quod tamen prius fecerant Pharaone demerso. Timendum etiam, ne si in referendis Deo gratias muti simus, mutum aliquando inveniamus Christum, qui alioquin coram Patre suo confitebitur eos, qui ipsum confessi fuerint. Mirum esse, inquit Rupertus, l. I. de Gen. cap. VIII. quod Deus in creatione meminerit infimi elementi, terræ: (*In principio creavit Deus cælum et terram*), et non meminerit supremi ignis: respondetque causam esse, quia ignis vorax quidem, sterilis tamen et ingratus est, omnia absumens, nihil rependens, ideoque significat ingratum, quia multa quidem beneficia devorat, nihil tamen redonat, dignus proinde qui ex numero creaturarum Deum jugiter laudantium expungatur, et a Deo sileatur. Vade igitur ingratus quisquis es, ad creaturas alias: *Interroga jumenta et docent te, et volatilia agri, et indicabunt tibi. Loquere terræ et respondebit tibi*, Job, XII. «Terra enim, inquit D. Ambros. l. I. offic. c. XXXI. aut spontaneos fructus germinat, aut hereditos uberiori cumulo refundit ac reddit.» *Aviculæ autem*: «Surgente et occidente die, inquit idem, l. V. examin. c. XII. suos cantus instaurare consueverunt, ut decursi vel adoriendi temporis laudes suo referant creatori:» et mox: «Quis sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere cum etiam minutissimæ aves solemnium devotione et dulci carmine ortus dierum ac noctium prosequantur?» Ad extremum arguet hanc ingrati tudinem nostram mutus hodierni evangelii, qui quamprimum a Christo curatus est, in Dei laudes prorupit, gratiamque sibi collatam prædicabat et divulgabat, licet ei Dominus hæc prohibuisset ex modestia. Nimirum ipsa natura hominem impellebat, ut beneficium hoc celebraret. Nos ergo, auditores, imitemur mutum istum: perrumpamus noxia linguæ vicula et loquamur recte.

CONCIO II.

LINGUÆ FRÆNANDÆ MEDIA

I. Declina turbam. — II. Præcogita quid loqui velis. — II. Cogita linguam tuam esse vehiculum eucharistiæ. — IV. Pete hanc gratiam a Deo, et cogita Deum ubique præsentem. — V. Cogita perniciem linguæ. — VI. Propone firmiter custodire linguam

THEMA.

Admirabantur dicentes: Bene omnia fecit. Marci VII.

Mirabantur spectatores hujus miraculi in hodierno evangelio. Mirari nos possumus non propterea tantum, quia mutum curavit Dominus, sed etiam quia tot præambulis et cæremoniis. Non enim memini aliquem a Domino tam opere curatum esse, præter mutum istum. Uno plerumque verbo cæteros restituit; hunc vero primo, a turba abduxit; deinde, misit digitos suos in aures ejus, tum expuens in terram tetigit linguam ejus, post hæc suspiciens in cælum ingemuit; denique, vocem extulit. Quid sibi hæc omnia? Itane tantæ molis erat, hominem non omnino mutum, sed tantum, difficulter loquentem (ut habet Græcus textus) recte loqui facere? Verum auditores nullam in hac re Christus sensit difficultatem, sed nobis insinuare voluit, quam difficile sit corrigere et frænare linguam ita ut nunquam male sed recte semper loquamur. Ita enim testatur S. Jacobus, cap. III. epistolæ suæ, cum ait: *Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentum et cæterorum domantur et domita sunt a natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest.* Quod non ita intelligendum ac si fieri omnino nequeat, sed quod absque Dei gratia nequeat; quomodo dixit Dominus camelum per foramen acus, id est, divitem in regnum cælorum ingredi non posse, nisi cum Dei gratia. Frænari lingua potest, etsi non sine gratia Dei et magna difficultate. Huic igitur tanto malo remedium quæramus. Cæremoniæ, quas adhibuit Christus in muti hujus curatione, non obscure docent, quid nobis sit faciendum, ut discamus recte loqui.

I. Christus apprehendit mutum de turba seorsum. Et tu declina turbam et tumultus ejus, si non vis perperam loqui. Difficillimum enim est, ut qui multa videt vel audit, non eadem loquatur; ideo lingua cerebro, et os phantasie vicinum est; et quod illa cogitat, mox in nos derivatur. Unde Eccl. c. XIX. pruritus loquendi tantus asseritur, quantus est mulieris gravidæ ad parientium, et vulnerati ad extrahendam sagittam;

et Job XXXII. quantus est musti bullientis et iagenas dirumpentis. Vis ergo abortivum verbum ex ore tuo non parere? Vide, ne gravidus fias mundi rumoribus: noli curiose ea pervestigare, quæ ad te non pertinent: maxime vero pravæ societati quæ recte loqui nescit, ne adjungere. Difficile enim est cum talibus versari, et eorum moribus ac sermonibus se non conformare. Ut enim filii Judæorum discabant loqui Azotice a matribus suis Azoticis, Nehem. XIII. ita a perversis discimus loqui perverse, a mendacibus mendaciter, a blasphemis blasphemæ, a turpibus turpiter. Quare ut in magnis nundinis transeuntes non omnia perlustramus, sed ea tantum quærimus, quæ nobis utilia et emenda sunt, reliqua negligimus: ita in hoc mundo non omnia investiganda vel imitanda, sed quæ laudatissima et utilia nobis sunt.

II. Christus expuit. Sputum hoc significat sapientiam, quia, ut saliva e capite defluit, et in ore colligitur, posteaque ejicitur, (unde saliva a salis sapore dicta est, sal autem sapientiam notat :) ita sermo noster e cerebro seu judicio prodire, et prius ponderari debet, antequam effundatur. Recte proinde monuit Ecclesiasticus, c. XXVIII. *Verbis tuis facito stateram.* Ut enim monetas aureas accurate ponderamus, priusquam expendamus vel accipiamus: ita verba ponderanda sunt, antequam in vulgus eant. Quatuor vero potissimum expendenda sunt; nimirum quid loquendum, modus quo loquendum, tempus quando loquendum et causa cur loquendum.

Quid loquendum sit, exponit apostolus, ad Ephes. IV. cum ait: *Omnis sermo malus,* (Græce, *putris*, qui nimirum sale conditus non est,) *ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad edificationem fidei, etc.* et ad Eph. V. *Fornicatio et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Spurcos et impuros sermones ac sales, diaboli sputa vocat Guil. Peraldus episcopus Lugdunensis, serm. XXIV. in Cant. Quemadmodum itaque nautæ habere solent omnia loca periculosa in mappis suis delineata, in quibus navis possit periclitari, ut queant ea declinare: sic servus Dei debet omnia genera malorum sermonum habere annotata, ne in illis periclitetur.

In modo loquendi observandum, ut non loquamur nimis delicate, inconsiderate, turgide, affectate, curiose, et verbis nimium exquisitis, nec contentiose. In tempore et opportune loqui, quantum habet gratiæ, tantum meretur odii,

loqui intempestive. De illo enim ait Salomon, Prov. XXV. *Mala aurea in lectis argenteis* (alii verunt, *in retinaculis vel thecis transparentibus*) *qui loquitur verbum in tempore suo: de isto vero Ecclesiasticus, cap. XX. Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicit illum in tempore suo.*

Finis denique, seu intentio attendenda in sermone est, nimirum Dei gloria et proximi utilitas. Fugienda ergo vana gloria et hypocrisis. Præter hæc etiam sæpe refert, quo loco et cui loquaris. Omnia hæc salivam, seu salem sapientiæ requirunt, de quo apostolus ad Coloss. IV. ait: *Sermo vester in gratia sit semper sale conditus.* Ut enim cibos sale, et calamum atramento tingimus; ita locuturi linguam ratione necesse est imbuiamus.

Hoc qui non observat, sæpe graviterque delinquet, uti dixit Zeno Citticus adolescenti de rebus frivolis garrienti: *Nisi lingua in mentem intincta disserueris, adhuc multo amplius dicendo delinques,* Stob. serm. XXXVI. Expertus id est Jephthe judex Hebræorum, (Jud. XI.) quando inconsiderate vovit se immolaturum Domino eum, qui primus ei occurrisset de foribus domus suæ. Occurrit enim ei unica filia. Unde postea vehementer doluit: *Heu me! aperui os meum,* inquit. Expertus est Herodes, cum stolidè promisit puellæ saltanti, quidquid illa petiisset. Contristatus est enim postea propter jusjurandum, cum vidit peti caput Joannis. Ergo sicut egressus domo prius undique se circumspicit an vultu et vestitu decore satis prodeat in publicum: ita locuturus videat, quam decora sint ea verba, quæ in publicum emissurus est. Rursum: *Sicut eligis, quo vescaris, sic elige quod loquaris,* inquit D. Augustinus, in Psalm. LI.

III. Tetigit linguam muti. Et tu Christiane, ut discas frænare linguam tuam, cogita eam sæpius tangi a Christo in s. communionem. Lingua enim tua vehiculum et equus regius est, in quo sedens Christus ad te ingreditur, uti vocatur a Chrysostomo, hom. LII. in Matth. Sane equus ille, qui a nobili quadam domina ad usum datus Joanni papæ ipsum gestavit, postea dominam suam, quam prius vectare solebat, receptare noluit, ut quia jam Christi vicarium vectasset, apud Baron. anno 525. Quomodo ergo linguam nostram, quæ ipsius regis cælorum ordinarius equus est, faciemus equum diaboli, ut ferat et proferrat verba turpia, blasphemæ, perjury? Ergo ut Romæ aselli vel equi, qui aliquando s. eucharistiam in itinere pontificio gestarunt, ad aliquos profanos usus non adhibentur amplius, (uti Romæ audivi): ita et nos linguam nostram, ex quo equus Christi facta est, ne, quæso, profa-

nemus: *Quæ enim venia nobis dabitur,* inquit S. Chrysost. hom. IV. ad baptiz. *imo vero quæ supplicia non perpendemus, quando linguam nostram, qua Dominicam carnem degustavimus, linguam effecimus diaboli.*

IV. Suscepit in cælum, ostendens donum recte loquendi e cælo expectandum. Tu ergo, si vis dominari linguæ tuæ, respice cælum, et ora Deum sedulo cum Davide, Ps. CXL. *Pone, Domine, custodiam ori meo: et ostium circumstantiæ labiis meis.* Quo loco duo Spiritus sancti dona petit ad recte loquendum necessaria, Spiritum consilii, ut sciat, quid, quomodo et quando loquendum: Spiritum fortitudinis, ut audeat loqui, quod oportet, et timeat loqui, quod non oportet. Primum petit, cum ostiarium petit: alterum, cum ostium. Duo enim hæc sibi mutuo necessaria sunt, ostiarius et ostium, ut domus custodiatur. Sine ostiario ostium vel semper erit clausum vel semper erit apertum. Sine ostio ostiarius non poterit prohibere, quin omnes prohibito exeant et intrent. Difficillimum esse frænare linguam, audivimus jam ex S. Jacobo, cap. III. epistolæ suæ, qui dicere non dubitavit: *Linguam nullus hominum domare potest;* quia nimirum homo ex vitiosa sua natura pronissimus est ad loquacitatem: ad sui ipsius laudem et proximi vituperium, ad judicandum, detrahendum, etc. et quia magna prudentia opus est ad recte loquendum; ideoque Dei auxilium ad hoc est implorandum. Unde S. Aug. de nat. et gratia, c. XV. et serm. IV. de verbis Domini ait: « Ergo intelligamus charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest ad Deum confugiendum est, qui domat linguam nostram: « Et rursum: « Ut dometur equus, bos, elephantis, leo, aspis, quæritur homo, ergo Deus quærat, ut dometur homo. » Sane nisi ad regendam lingua peculiare Dei auxilium requireretur, non dixisset Sapiens, Prov. XVI. *Hominis est animam præparare et Domini gubernare linguam.*

Ad hæc suspice in cælum, hoc est, cogita Deum ubique præsentem, omniaque tua verba exactissime audientem. Veteres philosophi docuerunt, sic loquendum esse cum hominibus, tanquam dii audiant, Macrob. l. I. Saturn. Observent hoc Christiani, et nil improbum loquentur.

V. Ingemuit, considerans, nisi fallor, in quanta mala præcipitet hominem lingua. Lingua enim indomita equus est absque fræno, et navis absque gubernaculo, uti docet S. Jacobus, in epistola sua cit. ubi quatuor de ejus perniciæ enuntiat. Primum: *Lingua,* inquit, *modicum membrum, magna exaltat,* id est, jactat, vel ducit in